

sunt alexipharmaca. *Mitbridatium, Theriaca Andromachi* ad ʒʒ. ʒj. vel ʒiʒ. adsumta jejunò ventriculo præservant. Excellunt *elixir campboræ cum foliis ☉, antipestilentielle, spiritus theriacalis campboratus, mistura simplex, elixir proprietatis.*

*Electuarium Orvietanum*, ex Italiâ & Galliâ in Germaniam quod transportatur in pyxidibus stanneis, magnas habere doctes, experientia ante annum apud aulicos nos edocuit.

Præservationis gratiâ alia quòque concinnari poterunt medicamenta, licet non iisdem constant cum Orvietano ingredientibus, pari tamen passu viribus ambulant.

*Rx. electuar. diascordii Fracastorii ʒij.*  
*conserv. flor. citri, aurantium a. ʒʒ.*  
*pulv. rad. angelicæ, gentianæ rubræ, diptami albi, bistorte a. ʒj.*  
*perlar. ppt. ʒʒ. comalliorum ppt. ʒiʒ.*  
*terra sigillata ʒʒ. C.C. Δ apertò calcinati ʒiʒ.*  
*rob. juniperi ʒj. ☉ citri, angelicæ, rutæ a. gt. X.*  
*☉ campboræ gt. viij.*  
*sirupi scordii, petasiditis a. q. s. F. l. a. Electuarium.*

In pyxide latâ. S. præservier *Lattwerge*.

Dosis nucem avellanam vel castaneam accedat.

Parari etiam potest *acetum bezoardicum* intus & extus usurpandum, ex ingredientibus bezoardicis vegetabilibus. Ejus generis sunt *acetum scordii, angelicæ, zedoaria, tormentilla, cardui benedicti, &c.*

EXTERIUS profunt & præservant *inunctiones & balsama* ex oleis bezoardicis parata. Talia sunt *balsamum succini, citri, angelicæ, rutæ, juniperi, antilimitum Rolfincii, naribus, cervici, temporibus, vertici, scrobiculo cordis, pulsibusque* illinenda, manè ante egressum.

## CAPUT LX.

Diæta præservat ab invasione causi.

IN DIÆTA omne absolvunt punctum sex res non-naturales. Contagiosus ut plurimum existit causus, malignitatem secum ferens.